

tiocheno et can. VI. Conc. Constant. I, quos superius retulimus: quare, ut id obiter dicamus, assequi non possumus quomodo eas appellationes ii tuerentur, qui libertates Ecclesiae Gallicanae in custodia veterum canonum sitas esse docuerunt. Cf. de his optime disputantem Charlas I. c. et in H. E. Natalis Alexandri sec. IV animadversiones Dominici Mansi ad Dissert. XXI.

V. Expedienda est singularis obiectio quae ex Gregorii M. modestia desumitur, ut in rebus quoque ecclesiasticis Pontificem Romanum auctoritati politicae subesse demonstratur. Res ita se habet. Legem tulerat an. 592 Mauritius Imperator ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat; nec eidem, et pariter illi qui semel in terrena militia signatus fuerit, in monasterium converti liceat: idemque Imperator iusserat ut Gregorius eam legem per diversas terrarum partes transmitti faceret. Constant haec ex epist. Gregorii 65, L. III. Iam vero Gregorius primam partem legis laudavit, sed maxime improbavit alteram, demonstravitque malam esse, utpote cuius excusationem nullam esset Imperator inventurus in iudicio Christi. Nihilominus post plura argumenta congesta ad eam partem legis refellendam, concludit epistolam scribens: « Ego quidem iussioni subiectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meae paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quae debui exsolvi, qui et Imperatori obedientiam praebui, et pro Deo quod sensi minime tacui ». Atqui, aiunt, haec erat res ecclesiastica, ingressus scilicet in monasterium: paruit tamen Pontifex Imperatori quamvis illi lex non probaretur, quod debitum subiectionis maxime ostendit. Scilicet sanctissimus Pontifex censebat etiam in re mala obediendum esse Principibus; quod quantum sit alienum a sanctitate et sapientia huius tanti viri nemo non videt. Ex hoc ergo docemur inquirendum esse quo pacto Gregorius legem Mauriti ad alios transmiserit. Exstat epistola eiusdem 5^a Lib. VIII ad plurimos Metropolitanos et Episcopos, quae vel ea est quacum legem transmisit Gregorius, ut vult Baronius, vel si anno Christi 598 scripta est, ut recentiores editores censent, ea est certe ex qua cognoscere licet quo pacto legem imperialem transmiserit Pontifex. Ait enim: « legem quam piissimus (titulus est honoris non praedicatum reale) Imperator dedit... vestrae studii fraternitati transmittere etc. », quam legem ita temperat et emollit ut qui ex militaribus numeris in monasteriis converti festinant non suscipiantur temere, sed iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probentur, et sic suscipiantur. Qui vero rationibus publicis sunt obnoxii non suscipiantur in monasteriis nisi prius a rationibus publicis

fuerint absoluti; subdit vero: « Qua de re, mihi credite, etiam serenissimus et christianissimus Imperator omni modo placatur, et libenter eorum conversionem suscipit quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit ». Id porro Gregorius non probat ex aliquo responso Mauriti, sed potius ex aequitate eius illud Gregorius colligere videtur. Sic proinde legem transmittens non se gessit ut subditus, sed ut superior, illudque egit quod tunc angustiae permittebant quibus premebatur Ecclesia. Ita profecto factum hoc interpretatus est Hincmarus Remensis inquiring (epist. 15^a Mig. V. 126, p. 94.) quod decretum Mauriti « S. Gregorius auctoritate Apostolica et generali episcoporum consensu, ecclesiastico vigore, et reipublicae christianae cohibente religione destruxit, veluti in eius epistola ad ipsum Mauritium imp. et ad plurimos archiepiscopos directis ostenditur ».

THESIS XXIV.

Iure divino Romanus Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica iurisdictione. Cuius immunitatis ius quidem est essenziale Primatui a Christo instituto, exercitium vero non absolute necessarium est ut Ecclesia sit, sed ut ea bene sit, vitamque eam socialem perfecte vivat ad quam ius habet. Perfecta porro actuatio huius immunitatis est Principatus civilis, qui providente Deo institutus est ut Romanus Pontifex ad Ecclesiam regendam, eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur.

I. Immunitas definitur: *privilegium quo res quaedam vel persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur.* Privilegii nomen sumitur lato sensu, prout comprehendere potest ius aliquod naturale vel divinum alicui specialiter conveniens prae aliis (Suarez Defens. fidei L. IV. c. 2.). Immunitas ecclesiastica duplex vel triplex ex parte obiectorum distinguitur: nimirum alia est immunitas locorum seu templorum aut ecclesiarum, alia est immunitas personarum seu clericorum, tertia est immunitas honorum quae ratione locorum seu personarum ab oneribus seu tributis eximuntur. Immunitas dupliciter violari potest: 1) agendo tantum contra ipsam: 2) agendo sub praetextu iuris, quo quis contendat se iure agere, seu iurisdictionem habere ad faciendum id quod immunitati adversatur, quemadmodum frequenter solet civilis auctoritas. Qui hoc altero modo immunitatem ecclesiasticam violat, dicitur proprie agere contra *libertatem Ecclesiae*; nam ille proprie agit contra libertatem alicuius qui vult illum in servitutem redigere, et onus servitutis illi impo-

nere: huiusmodi vero non est qui tantum non obedit, sed qui ius in alium sibi arrogat (idem ibid.).

Immunitas personalis duplici privilegio continetur: *canonis et fori*. Privilegium fori dicitur illud, quo clericis exemptio a iurisdictione laica concessa est; cui consequenter annexa est exemptio a tributis. De immunitate personali fori directe et data opera quaestio nobis est in hac thesi; et quidem primo et per se de immunitate Romani Pontificis, secundo et per accidens de immunitate ceterorum clericorum.

Cum immunitas sit ius quoddam, ius autem multiplex sit; praemittenda est distinctio iurium, de quibus disputari potest an secundum ea competat Ecclesiae immunitas. Ius, de quo quaeri haec potest, vel est divinum, vel canonicum, vel civile. Ius divinum autem duplex concipi potest, naturale nempe et positivum: *naturale*, non quod a sola natura procedit, sed quod ab aliqua divina institutione dimanat, in eaque implicite continetur, ut ei proinde sit connaturale, ea scilicet supposita institutione, ab ipsis rerum essentiis exigatur: *positivum* quod expresse a Deo revelante suamque voluntatem significante constitutum est.

Quod de iure divino est, idem potest esse et de iure canonico, et quidem multiplici modo: 1) quatenus Ecclesia auctoritate sua illud idem statuat quod divina auctoritas iam decrevit confirmans illud, specialesque addens poenas: 2) quatenus Ecclesia specificè determinet, quod Deus iussit generatim: 3) quatenus Ecclesia determinet exercitium iuris quod Deus quidem concessit, cuius tamen exercitium prudentiae Ecclesiae reliquit.

Si ius divinum proprie sumitur, distinguitur a iure canonico quod ab auctoritate Ecclesiastica instituitur, Deo solum conferente potestatem, non tamen a se condente legem seu ius.

Ius divinum positivum duplex distingui potest: *proprie dictum*, et *improprie dictum*: illud est quod continetur expresso Dei praecepto vel in sacris literis exstante, vel per traditionem nobis manifesto: hoc quod ab exemplis vel testimoniis veteris aut novi testamenti per quamdam similitudinem deduci potest (cf. Bellarm. De Clericis. L. I. c. 28).

Item ius divinum naturale duplex distingui potest iuxta ea quae diximus in Tract. De Matrimonio (Th. IV. pag. 75) *primitivum* nempe et *secundarium*: illud est quod praecipit id quod est essentialiter ipsi rei vel fini intento a natura: istud quod praecipit vel suadet id quod eidem fini congruum est.

In iis, quae ad ius divinum in ordine supernaturali et ius canonicum spectant, auctoritas civilis partem habere potest quatenus pro-

bans idem ius, sicut debet, tum impedimenta removet quibus liberum exercitium eorum iurium iniuste impediretur; tum subditos suos obligat ne iisdem iuribus adversentur.

Cum de aliquo iure sermo est, distinguendum est ipsum ius seu potestas moralis, et exercitium eiusdem. Potest enim prius esse sine altero, et potest esse necessarium et essentialiter prius, quin sit semper necessarium et essentialiter alterum. Facultas enim ad aliquid essentialiter esse potest, quin sit actus necessarius; cuiusmodi sunt tot facultates humanae: porro ius est aliqua facultas seu potestas, licet moralis. Ipsa enim rei natura potestatem aliquam exigere potest, cuius tamen exercitium vel libero arbitrio subsit, vel certis prudentiae legibus temperari debeat.

Item exercitium iuris necessarium alicui esse potest tum ut simpliciter sit, tum ut bene sit.

Quaestio non est modo utrum in causis ecclesiasticis sint Clerici, et potissimum Pontifex, immunes a laica potestate, hanc iam quaestionem solvimus (Proleg. §. XVIII); sed quaestio est tantum quoad res et causas civiles. Neque quaestio est de subiectione potestati civili quovis modo spectatae, sed de subiectione *potestati coactivae*, seu iurisdictioni proprie dictae.

II. Immunitas plena personalis h. e. ius exemptionis a quavis iurisdictione civilium potestatum competit Romano Pontifici; competit autem iure divino saltem naturali: quod ita probamus 1^o a posteriori. Sane vi iuris canonici omnis clericus gaudet personali immunitate. Id patet ex eo quod in corpore iuris canonici haec immunitas contineatur, ac significetur eam auctoritate Ecclesiae atque divina esse constitutam. Cf. titulum de Foro Competenti, ac capp. *Noverit*, et *Gravem* De Sententia excommunicationis, ac Bullam Leonis X in Sess. IX. Conc. Later. De Reformatione, alibique saepe. Conc. autem Trident. Sess. XXV. De Reform. c. 20. docet « personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et *canonicis Sanctionibus esse constitutam*. » Iam vero sic licet arguere: immunitas personalis iure canonico sancita, comprehendit quoque et praecipue Romanum Pontificem qui caput est omnium: hoc autem ius canonicum Romanus ipse Pontifex statuit, et in eo statuendo non erravit; atqui statuere non potuit nisi iam iure divino esset per se immunis: ergo. Maior evidens est quoad 1^{am} partem: item quoad 2^{am} partem certa est; quia omnis lex universalis Ecclesiae a Rom. Pontifice vim habet: quoad 3^{am} vero partem liquet ex infallibilitate Romani Pontificis, quam modo supponimus; agitur enim de statuenda regula moris sive rationis agendi omnium christianorum in quodam ordine rerum nempe respectu clericorum, quae ratio agendi honesta

sit, nec iura alterius violet, quod inhonestum foret. Minor probatur ita. Cum Romanus Pontifex pro se ipso quoque positiva sua lege statuit immunitatem nequit antecedenter esse iure subiectus; qui enim ita se habet non potest iure se subducere sola sua voluntate a subiectione debita; ergo iam Pontifex erat immunis, non quidem iure humano, igitur divino saltem naturali orto ex ipsa dignitate Primatus; eiusque lex canonica eo spectat ut hoc ius authentice declaret et nova auctoritate constituat.

Itaque etsi Pontifex aliquando hac immunitate non sit usus, quia vero potest iure se subducere ab hac subiectione, si velit, subiectio eius nunquam est concipienda ut necessaria, sed ut voluntaria, et idcirco non vera subiectio potestati iurisdictionis. Quando vero Pontifex se subtrahit a iurisdictione superioris civilis, non agit ut civis, sed ut Pontifex auctoritate Primatus, cui auctoritati subordinatur per se auctoritas civilis, indirecte quidem; sed id nihil refert, quia haec subiectio, licet indirecta, sufficit profecto ut Principi praecipere possit ab auctoritate Primatus ne iurisdictionem suam in Pontificem exerceat: per accidens vero est quod persona quae a iurisdictione civili subtrahitur sit illa eadem quae auctoritate potitur in Principem civilem; distinctio enim quae requiritur, est distinctio auctoritatum quarum una alteri subordinetur.

Probatur 2^o a priori ex ipsa natura Primatus immunitas Pontificis de iure divino naturali. Recolendum est autem quod hic vel ille homo alteri homini non est subiectus ratione tantum habita naturae humanae; hac enim omnes sunt pares, sed ratione habita eorum quae accidunt naturae, propter quae fit ut hic sit Princeps, ille sit subditus. Et sicut inter ea quae accidunt reperiri potest id quod est ratio cur hic sit subditus, et subditus huic, ita quoque reperiri potest id quod sit ratio cur hic non sit subditus huic, et etiam subditus nulli. Ita subditus gubernatoris vel inferioris iudicis, si decreto Principis ab eorum iurisdictione eximatur, vel ea dignitate ornatur quae repugnet subiectioni eorum, desinet esse illorum subditus: ita electus in Principem societatis perfectae desinet esse subditus cuiusque in ordine saltem naturali. Conditio ergo vel qualitas personae potest esse talis, quae prohibeat iurisdictionem alterius in ipsam personam, et potest quoque esse talis ut prohibeat omnem iurisdictionem. Ut igitur demonstremus personam Romani Pontificis immunem esse iure divino naturali a iurisdictione civili Principum, satis est probare eundem esse divinitus auctum ea qualitate vel dignitate quae excludit istam iurisdictionem: quod ita probatur. Potestas coactiva quae propria est iurisdictionis, requirit talem vim in alium ut ab hoc illa nequeat superiore potestate impediri aut ligari:

atqui Romanus Pontifex potest impedire aut ligare quamlibet potestatem coactivam quae erga eius personam exerceatur; igitur persona aucta Primatu eo quod talis est immunis a iurisdictione cuiusque alterius hominis. Maior patet: probatur minor. Propter positivam licet indirectam subiectionem potestatis civilis potestati Primatus, ius habet Romanus Pontifex tum prohibendi Principibus secularibus ea quae noxia forent Ecclesiae, tum praecipendi ea quae necessaria vel maxime utilia sint Ecclesiae: potest enim solvere et ligare quidquid ad bonum Ecclesiae regimen, Christianaeque reipublicae rectam ordinationem conducat. Atqui utile saltem et maxime utile Ecclesiae est ut non exerceatur legalis vis coactiva in Rom. Pontificem: etenim negari nequit esse saltem 1^o maxime indecens ut Vicarius Christi totiusque orbis catholici Pater in carcerem auctoritate iuris tradatur, ceterisque poenis multetur: 2^o id maxime officere existimationi qua Christi Vicarius penes omnes gaudere debet; et idcirco 3^o id vehementer nocere recto ac tranquillo regimini Ecclesiae: quapropter licet naturae ius, supposita institutione Primatus, id absolute non vetet primitivo praecepto, at certe secundario praecepto id ut graviter inconveniens esse persuadet. Ergo ius habet Pontifex vi auctoritatis superioris, quae est auctoritas Primatus, impediendi quaecumque vim legalem coactivam erga se ipsum, solvendique quaecumque legem contra se ipsum ab alio latam. Ergo potestas suprema Principum erga ipsum Rom. Pontificem nequit esse coactiva, h. e. proprie dicta iurisdictione. Cf. Suarez Defensio fidei L. IV. c. 4.

Et re quidem vera 3^o constat Ecclesiam agnoscere quod a iure divino profecta sit immunitas. Sane teste Concilio Tridentino, ut iam audivimus, personarum ecclesiasticarum immunitas constituta est *divina ordinatione*, et canonicis sanctionibus: inter personas autem Ecclesiasticas praecipue est Papa; ergo ius immunitatis ordinatione divina, si non positiva, dum lex positiva expresse non exstet, certe naturali est statuta. Et Leo X in Bulla reformationis lata in Sess. 9. approbante Concilio ait « cum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas persona sit attributa ». Iam vero sensus horum verborum vel est simpliciter negativus: laicos non habere hanc potestatem ex iure divino aut humano; vel est positivus: laicis interdictam esse potestatem hanc: si primum, vel ea divisio comprehendit quodcumque ius, ideoque etiam naturale, vel non: si non comprehendit, inepta est propositio; nihil enim probat: ergo si sensus verborum est negativus, comprehenditur ius quoque naturale. Itaque vel ea verba sensu positivo sunt accipienda, vel negativo sed excludente quodvis ius: atqui si positive sumas, dicendum est laicos potestatem nullam habere in personas ecclesiasticas; potestas enim,

quae nullo iure conceditur, nulla est. Cur vero nulla est in laicis potestas? aut quia positiva lege Dei exempti clerici sunt: aut quia ipsa natura personae sacrae hanc immunitatem postulat; hoc autem est verum ius naturale divinum: si igitur desit positiva lex, dicendum est iure divino naturali fuisse constitutam immunitatem, eo ipso quod Deus Sacerdotalem instituit dignitatem. Ecclesia ergo testibus Patribus Tridentinis et Lateranensibus agnoscit aliquod ius divinum sanciens immunitatem Ecclesiasticam: verbisque *ordinatio divina* comparatis cum verbis Leonis Tridentini legem significant statuentem ius.

III. Quam ergo partem in immunitate Pontificis habet ius humanum? Ius ipsum immunitatis divinum est, neque ut tale dependet a voluntate vel ipsius Pontificis. Est tamen in Pontifice auctoritas ipsum confirmandi. Exercitium vero, quia absolute necessarium non est, et potest non esse, et aliquando non fuit, et plus minusve plenum esse potest, indiget causa aliqua determinante praeter ipsum ius divinum: quae causa determinans erit obiective utilitas Ecclesiae, efficienter auctoritas ea quae omnia in Ecclesia regit, h. e. auctoritas Romani Pontificis, qui lege divina (Pasce oves meas) tenetur consulere utilitati Ecclesiae. In eius ergo potestate est tum praecipere ceteris ne immunitatis exercitium impediatur, tum determinare modum quo exercendum est istud ius.

Negamus vero a civili potestate huiusmodi ius originem ducere. Nam ius divinum proprium et intrinsicum Primatus nequit habere originem nisi ab institutore Primatus; atqui ius independentiae ab auctoritate Principis, quod habetur velit ipse nolit, nequit in fieri et in esse pendere ab eadem auctoritate: quodcumque enim ius, quod auctoritas confert, quatenus ab ea est, potest non esse si ipsa velit; et omnis auctoritas, sicut nequit se ipsam simul affirmare et negare, ita non potest conferre ius independentiae a se ipsa, quod habeatur independentem a suo consensu. Altioris ergo ordinis est hoc ius Pontificis, et a causa superiore adaequate dependet, nempe a Deo.

Cur ergo Principes sanxerunt legibus suis immunitatem Ecclesiasticam, easque leges amplexa est Ecclesia: imo assertum est immunes esse ecclesiasticas personas ex iure divino et humano? Respondeo leges has spectare immunitatem Ecclesiasticam universim; et quia quod valet in immunitate ecclesiastica universim spectata, valet et in immunitate Pontificis, ut universalior sit doctrina, de ea generatim loquemur. Itaque considerare oportet quod Ecclesia habet ius immunitatis, potestatemque habet praecipendi ut eius liberum exercitium a nemine impediatur; tamen si Principes, qui vi materiali praevalent, impedire velint illud, non poterit physice ipsum

haberi. Ut ergo actu immunitatis ius exerceatur, opus est ut Principes faciant id quod iure debent, nempe desistant ab illicita violentia, qua illud impedirent. Eorum est ergo ponere eam conditionem, quae necessaria est, ut actuali immunitate Ecclesia fruatur. Quod quidem exsequuntur, cum leges ferunt, quibus tuentur immunitatem Ecclesiasticam: quibus legibus non confertur immunitatis ius (quaecumque sit forma, qua efferuntur) sed, prout est munus civilis potestatis, praesidium libertati Ecclesiae praestatur. Eae vero leges habent veram rationem legis, si comparentur ad subditos laicos, quibus obligatio a Principe quoque imponitur ne Ecclesiae iura laedant. Liquet ergo ratio cur concursus quoque civilis auctoritatis ab Ecclesia requiratur.

Cum vero canones aiunt immunitatem Ecclesiae esse *ex iure divino et humano*; si de iure constituyente sermo est, ius humanum est ius ecclesiasticum sive canonicum. Sane id nos docet Tridentinum quod loquens de iure constituyente, solum ordinationes divinas et canonicas sanctiones memoravit: docet pariter Leo X, qui negat iure ullo humano aut divino competere laicis potestatem in personas ecclesiasticas; docet ratio, quam attulimus probantes a potestate civili non posse originem ducere immunitatis ecclesiasticae ius. Si vero sermo fit non de iure tantum constituyente, sed et de iure praecipiente laicis ne violent Ecclesiae ius, et de iure removente prohibens exercitium legitimum iuris ecclesiastici, dici potest ecclesiasticas personas gaudere immunitate iure quoque humano h. e. civili.

Nec dicas expedire ad quietam vitam reipublicae exerceri indifferenter iustitiam in malefactores et perturbatores communitatis, id eoque esse in republica temporali potestatem ad hanc iustitiam indifferenter exsequendam erga omnes, et idcirco etiam erga clericos. Negatur enim consequentia, nam non omne quod expedit, est in potestate eius cui expedit. Nec dicas ius in republica esse se defendendi contra quosvis iniquos aggressores, et defendendi suos subditos: defendere vero se et suos auctoritate publica. Distinguitur enim antecedens, scilicet defensio privata, qua vis vi repellitur, competit cuique, et reipublicae quoque, sed ea non est actus iurisdictionis: defensio per vindictam, nimirum per timorem poenae praeveniendo ne fiat malum, et poenam inferendo si fiat, est actus iurisdictionis, et soli superiori in suos subditos competit. Porro magistratus laici non sunt superiores clericorum.

Hactenus locuti sumus explicite de Principibus fidelibus: verum ius a Deo collatum Pontifici respicit per se etiam infideles; tenentur enim et ipsi ex Dei voluntate subesse Romano Pontifici sicut obligati sunt ad suscipiendam fidem. Quare non nisi propter ignorantiam excu-

santur ipsi ab eo obsequio praestando quod Christiani debent: et non nisi propter physicam impossibilitatem tuendi in eorum regno immunitatem Ecclesiasticorum, abstinet Ecclesia ab ea sibi vindicanda.

Observe argumenta pro asserendo iure immunitatis procedere a speciali dignitate ecclesiasticorum, quatenus iurisdictionem habent, et ministerium sacrorum, non ex eo solum quod aliquo sacro characterem sunt insigniti: unde non est consequens omnes baptizatos esse immunes. Cf. de his omnibus Suarez l. c. et de Immunitate Ecclesiastica a Venetis violata L. 2. c. 1.

Quaeres an sit aliquod etiam *ius divinum positivum*? Respondeo quod ius divinum positivum proprie dictum non habemus; quod spectat vero ad ius hoc improprie dictum cf. Becanum in Duello de Primatu regio c. 2°.

IV. Iam vero ius immunitatis necessarium est et essenziale Primatui Romani Pontificis. Ut potestas essentialis dicatur alicui opus non est ut eius exercitium sit subiecto necessarium et essenziale, sed satis est quod cum essentia rei ipsa sit necessario connexa; ita potestas quamlibet scientiam acquirendi est essentialis intellectui, potest tamen esse intellectus sine eius potestatis exercitio. Unde quamvis ratio potestatis sit finis; quia tamen quaestio esse potest de fine, postulari nequit ut norma iudicandi an aliqua potestas sit *subiecto essentialis*, desumatur ex necessitate actus propter finem: cognita enim essentia subiecti, desumi potest ea norma ex nexu, quem potestas habet cum essentia eius. Ex *fine* vero desumetur ratio iudicandi an actus necessarius et essentialis sit nec ne. Porro ius est potestas quaedam. Atqui ex probatis constat potestatem hanc cum essentia Primatus esse intime nexam, nec posse esse Primatum, quin ipsa sit: ergo ius hoc necesse est ut insit Primatui, eique est essenziale. Itaque sicut essentialis est Primatui potestas recipiendi ex toto orbe Christiano appellationes a quovis primo iudicio Episcoporum; sicut essenziale eidem est ius exercendi cuiuscumque actus iurisdictionis episcopalis in universa Ecclesia, quamvis exercitium horum iurium non sit necessarium; ita essenziale dicendum est Primatui ius immunitatis a laica iurisdictione. Si ergo ius ipsum immunitatis spectetur, et quaestio fiat an primario vel secundario iure seu praecepto divino naturali per ipsam institutionem Primatus constitutum sit: respondendum est ius illud seu eam moralem potestatem (ius enim potestas est quaedam) primario iure seu praecepto constitutum esse: voluit enim Deus ut ius illud esset de essentia Primatus, et ab eo proinde inseparabile.

V. Nunc de exercitio huius iuris. Potestas quaevis est propter

actum, actus autem propter finem, qui vel est perfectio agentis, vel aliorum extra agens. Primatus vero collatus est Petro et successoribus eius propter bonum Ecclesiae: omnis ergo potestas et omne ius Primatus est in bonum Ecclesiae; ius etiam igitur immunitatis pro regimine Ecclesiae collatum est Pontifici. Iam vero exercitium huius iuris non est absolute necessarium Ecclesiae, nempe ut ea sit: liquet ex facto; primis enim Ecclesiae seculis non gaudebat exercitio huius iuris Romanus Pontifex, et tamen Ecclesia stabat. Est tamen aliqua necessitas exercitii eiusdem. Nimirum Ecclesia non tantum ius habet ut sit, sed etiam ut bene sit, ut nempe perfecto modo convenienti suae naturae existat et regatur: omne enim ens ius habet ad suam acquirendam perfectionem, praesertim illud quod non propter alia est, sed propter quod sunt alia; cuiusmodi est Ecclesia propter quam cetera existunt. Iam vero ut Ecclesia bene sit, evidens est necesse esse ut omnia eius iura, inter quae sunt potissimum iura sui capitis, in actum deducantur: non enim frustra ea iura contulit Deus. Oportet ergo ut et ius immunitatis ad actum deducatur.

Sane si utilitas Ecclesiae, quae finis est huius iuris consideretur, advertendum est quod Ecclesia est societas visibilis et independens, ius habens ad vitam socialem perfectam. Ut autem eius vita socialis bene se habeat, seu perfecta sit, necesse est ut supremum eius caput semper gaudeat actu plena et perenni libertate docendi et ferendi leges atque poenis reos cohibendi, erga omnes fideles ipsosque Principes: necesse est ut pax et tranquillitas regiminis Ecclesiastici sit ex se stabilis, ideoque nullo modo dependeat a voluntate mutabili hominis, cui Ecclesiae cura non est commissa: necesse est ut exercitium potestatis Capitis Ecclesiae ita certo constare possit omnibus fidelibus ut excludantur exceptiones probabiles quas promovere possent contumaces aientes sponte sua Pontificem non agere: necesse est ut Pastor immediatus omnium fidelium alienus sit a contentionibus, quae fideles populos in societate civili inter se committere possent, ne et ipse debitam fidelium fiduciam et reverentiam amittat, eiusque decreta, quae forte non placent, suspitione laborent quod in gratiam Principis sui edita sint: necesse est ut eo sensibili splendore cultus et honoris honestetur Primatus qui idoneus sit penes homines, qui in sensibilibus intelligibilia percipiunt, ad conciliandam ei existimationem convenientem summae suae auctoritati, et ad amovendum periculum ne auctoritas sua apud homines vilescat.

Atqui haec omnia vel includunt vel exigunt immunitatem Pontificis a laica iurisdictione in quavis etiam hypothesi, si simul sumantur, socialis hominum conditionis. Nam vilesceret certe penes homi-